

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Corfinius ... Ad
Iusto Exequialia Quae ... Henrico Barchleiden ... Vidua hodie hor. 1. parabuntur,
Omnes & singulos Academiae Cives invitat**

Rostochii: Kilius, 1652


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746828705>


Druck Freier  Zugang




Corfinius, J.,
in H. Barchleiden.
R. 1652.

67







PROGRAMMA

83

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOHANNES CORFINIUS,

Ss. Theol. D. Moralium Professor,

& Pastor D. Mar.

Ad

Iusto Exequialia

Quæ

Viro Spectatissimo & Integerrimo,

HENRICO Barchleiden/

Cerevisiario & Civi hujus

Urbis primario,

Amœstissimâ Viduâ hodie hor. l.

parabuntur,

Omnes & singulos Academiae

Cives invitat,

☉(oo)☉



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typogr.

ANNO M. DC. LII





IN universo orbe satis exploratum est, vix quicquam periculosius esse quam marino itinere suscepto remotissimas adire regiones, & furentibus maris procellis ratem suam committere homines, ratiq; concedere vitam. In sicco dum degimus, sæpe ingruentium periculorum insultus non declinamus, quid illis futurum conijciemus, qui in anfractuoso jactantur mari? Anacharsin suo sæculo pericula maris graphicè delineasse Laërtius declarat, sciscitabatur ille ex obvio Viro, quanta esset spissitudo nauticarum tabularum, cumq; iste reponeret, quatuor digitorum, illico respondebat, tantillum à morte absunt, quotquot navigant. Hinc admiratione dignum est, quorundam tantam deprehendi audaciam, ut non extimescant ulla maris pericula, sed per menses aliquot, immo integros etiam annos in vasto commorentur oceano. Non immeritò Poëtæ hanc exaggerarunt animosam confidentiam, unde Lyricus

*Ille robur Es triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem,
Primus; nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus.*

Cum

Cum illo demiratus est Tragicus hanc humanæ gentis
audaciam, verbisq; propemodum concordantibus ex-
posuit,

*Andax nimium qui freta primus
Ratitam fragili perfida rupit,
Terrasq; suas post terga videns
Animum levibus credidit auris.*

Verum quamvis prædictæ peregrinationes periculo
nunquam careant, neq; suis tamen omnino destituun-
tur commodis, quæ qui in dubium vocat veritati oblo-
quitur. Optimè celebratissimus V. T. Ethicus, quem
Ecclesiasticum appellamus, hæc expressit, Qui in mari na-
vigant, ait, pericula illius exponunt, quæ ubi ad nostras
deveniunt aures, miramur. Habent isti gentium urbi-
umq; variarum contemplatores quod jucundâ semper
evolvere queunt reminiscentiâ, & gratâ experienciâ
explicare. neq; enim duntaxat periculi transacti memo-
riâ delectabilis est, sed abundè etiam illis suppetit, ut
attonitis cæteris audientibus res visas auditasq; horri-
ficas narrent, & animos stupefactos admiratione
suspendant. Sed præsertim nobis idcirco peregrinatio-
nis marinæ studia commendantur, quod umbratilem
mundi ideam exhibeat, quoties enim marinorum mon-
strorum, scopulorum, anfractuumq; recordamur, toties
in orbe nos versari æque periculoso ad animum revo-
cabimus. Adsunt profectò in orbe voluptatum libidi-
numq; Sirenes, quæ dulcissimè cantillant, sed propterea
modulantur, ut præternavigantes, auremq; præbentes
misere decipiant, & dormitantes paulatim in profun-
dam demergant voraginem, in præcipitia namq; abri-
piantur, qui sonoras libidinum adjunt voces; præsto

quoq; est Circe dementans, de qua suas effinxere fabel-
las nugigeruli gentiles, quod in belluas transmutarit,
homines, in porcos scilicet & hircos, boves & canes: in-
tuere quæso ingenia mortalium, moresq; examina ac-
curatius, suam ingluviem in asotis, in malevolis rabi-
em caninam, qui invidiæ œstro perciti innoxios alla-
trant, hircinam ἀσέλγειαν in libidinosorum colluviæ
abundè deprehendes. Beatos proinde quis non procla-
met universos, qui tandem eluctati portum obtinue-
runt, & evitatis scopulis, monstrisq; furiosis vela con-
trahunt. Laudatus antehac Anacharsis quondam quæ-
situs quæ tutissimæ essent naves, quæ in siccum protra-
ctæ sunt, regerebat, subinnuens, omnia omnino mari ex-
posita navigia minimè esse tuta, sed quæ tempore bru-
mali ad litus attracta essent, illa demum periculo fore
exempta: Nunquam sanè orbis pericula effugiemus pri-
usquam in sicco locata fuerit animæ navicula, coeliq;ue
oram attingens coeleste litus nanciscatur. In hunc ven-
tis faventibus provectus est portum Vir Spectatissimus
& Integerrimus HENRICUS Barchleid/ Civis hu-
jus Reipublicæ laudatissimus, qui in annis juvenilibus,
cum longè distitas regiones lustraret mari periculoso
expositus fuit, sed nunc demum quem in toto vitæ tra-
ctu anxie desideravit, portum consecutus est. Ingres-
sus ipse est hoc impetuosum mundi mare Anno mille-
simo quingentesimo nonagesimo septimo, X. Martij
Patremq;e habuit Virum Honestissimum, HENRI-
CUM Barchley/ Cerevisiarum Civemq; Rostochien-
sem, Matrem vero Foeminam Ornatissimam ANNAM
Zimmermans/ Paternus erat Avus PAULLUS Barchley/
Civis itidem Reipublicæ patriæ, Vir optimæ famæ
& existimationis. Denique Avus erat Maternus
GER.

GERHARDUS Zimmermann / Civis quōq; hōjus Reipubl. Rostochiensis, Avix̄ verò paterna & materna ignorantur. His editus Parentibus paulò deinceps Baptismatis ritu initiatus est; cœlesti providentiâ disponente, Patrem è vitâ avocatum subito lugere, & orphanorum augere numerum coactus est, cum semi annum vix complevisset; Genitrix superstes alterâ quidem vice connubio juncta fuit Viro Integerrimo COSMO Ruten / Civis Rostochiensis, veruntamen & ipsa non diu inter vivos remansit, neq; enim ultra sesquiannum fœdus conjugale durabat, atq; adeò factum est, ut ipse Defunctus vix trimulus jam utroq; Parente destitutus esset, sed quantumvis Parentis terreni curâ non gauderet, uberrimè tamen cœlestis expertus est benevolentiam Patris. Undecimo ætatis anno in Daniam ablegatus integros octo annos ministerio Viri Consularis impendere non dubitavit, cumq; satis iste concessisset in patriam primitus reversus negotiationes exercuit, & in regnum Danicum subinde transfretavit, Posthæc cum flagraret desiderio lustrandi Regiones orbis remotiores & famigerabiles, ut populorum mores ac negotiationes accuratius scrutaretur, fidei ascito comite ad Batavos omnium primò perrexit, cumq; ibidem paratos offenderet, qui in Orientalem Indiam, Terram ab Europæâ maximè remotam navigaturi erant, horum comitatu navigijsq; se associare voluit, & inspectionem armamentarij navalis machinarumq; bellicarum suæ commissarum fidei suscepit. Quot procellis decumanis, quot periculis exantlandis, quot deniq; tolerandis difficultatib⁹ fuerit subiectus, qui vis promptè colligee qui rationis gubernaculo non destituitur, neque expediri tantum potuit iter nisi integro absoluto septennio. Locorum & Regno-


rum Orientalis Indiae situm, mores populorum Barbarorum, non absq; stupore vidit, fructus quoq; & germina terrae exactiori sedulitate observavit, unde illam sibi comparaverat rerum variarum & admiratione dignissimarum cognitionem, ut egregios sermones de Indicorum fructuum praestantia, usu, efficaciam expromere posset. in ipso etiam morbo medicamentorum fructuumq; Indicorum olim degustatorum saporem sibi in memoriam revocavit, & deijsdem cum Experientissimis Dn. Medicis sermones contulit. In septennali itinere non nisi per unicum annum in ora terrestri habitabili commoratus est, coeteri enim in vastissimo absolvendi erant mari: quae quidem itineris difficultas & diuturnitas illud efficiebat, ut cum centum & sexaginta ex Belgio irent, non nisi septem numero reverterentur, quos inter & noster Macarites evasit, cum miliarium aliquot millia absolvisset, & regiones quamplurimas praeternavigasset; tandem in Belgium redux appulit, sed corpore imbecilliori, nocentissimo affectu scorbutico maximo opere divexato, & itineris molestia debilitato. Cum feliciter patrias reviseret oras Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, conjugij foedus contraxit cum Foemina Pudicissima ANNA Kochen/ Viri Integerrimi Optimiq; STEPHANI Kölsowen/ Civis Rostochiensis relicta Vidua; sed minus diuturnum connubium erat, non enim ultra annum & unicum praeterea anni quadrantem extendebatur, adeo viduatam citissime thalamum expertus est, & velut antehac immaturo Parentis obitu orphanorum numerum auxerat, ita Viduorum quoq; auxit: Cum rei familiaris molestias solus tolerare nequiret, transacto luctus anno ad secunda transibat vota, vitamq; sociam sibi combinabat Virginem Lectissimam, Virtutumq;


tumq; decore florentissimam, BARBARAM von Hafs-
seln/Viri Spectatissimi Dn. HENRICI von Haffeln / Ci-
vis hujus urbis primarij filiam, nunc Viduam moerore,
ob Mariti unice dilecti discessum maximo afflictam,
quâ cum vitam transegit, annosq; complevit viginti
sex, tantâ animorum conspiratione, & concordia lauda-
tissimâ, ut crebriori nanquam opus fuerit reconcilia-
tione. Neq; prole caruit hoc conjugium, nati etenim sunt
Conjugatis tres Filij adhucdum superstites, quorum na-
tu maximus HENRICUS Juris Cultor est industrius,
reliqui STEPHANUS & JOACHIMUS una cum
Genitrice Parentis venerandi obitum acerbè deflent,
quos Matri solatio superesse jubeat cœlestis benignitas.
Cœterum qualem in vitâ se gesserit, satis urbis hujus in-
notuit incolis. affabilem scilicet erga omnes se præsta-
bat, difficilem adversus nullum, unde Civium propensio-
nem, & proborum affectum benevolum sibi facile com-
parabat; cum verò judicij dexteritate rerumq; experi-
entiâ insigni polleret, atq; plures istâ ratione antecelle-
ret, non uni tantum præfectus fuit officio quantisper a-
pud nos vixit; primò omnium ante annos aliquot Ar-
mamentarij bellicorumq; tormentorum cura ipsius in-
dustria à Senatu Oppidano Amplissimo concedita,
fuit; dehinc Præfectus Ædilisq; declaratus Prochodo-
chij hujatis ad S. Spiritum, cui officio per sexennium in-
tegrum istâ præfuit integritate, vigilantia, & fidelitatis
studio ut deinceps istis accenseretur Viris octo, qui ad
Prædiorum rationes examinandas obstricti sunt. Mor-
bis verò confictari subinde coactus fuit, hos enim in-
longinquo & difficillimo itinere quod contraxerit non
minimos, facile conijci potest, nulla quidem absuit Me-
dicorum Experimentissimorum industria, nulla Conjugis
lectis-


lectissima vigilantiâ, neq; ullus remedium defuit ap-
paratus, sed ut cœtera caduca sunt, quæ orbis possidet,
ita caducū quoq; sanitatis donum evanuit, & penetrante
Scorbutici mali pernicie tandem victum est. Expres-
sit hæc accuratius Experimentissimus & Excellentissimus
DN. STEPHANUS SCULTETUS, Med. D. & Prof.
Clariss. Collega & Amicus honoratissimus, *Cum decli-
nante etate nephriticis consistari capis doloribus, quos licet semel
atq; iterum superavit, majori tamen immanitate subinde recru-
derunt, adeo ut tandem, cum scorbutici se consociassent, omnim-
quæ Medicorum operam elussissent, deficeret.* Medicinam pro-
inde spiritualem adhibendam exactè ponderavit, voca-
to itaq; Viro Reverendo & Clarissimo Dn. M. ENO-
CHO SVANTENIO ad D. Jac. Verbi Præconi vi-
gilantissimo Amico & Collegæ colendo, miseræ scatu-
riginem aperuit & sacratâ refectus est Salvatoris Cœ-
nâ, ac posthæc singulari devotione conceptam animi fi-
duciam eidem abundè probavit, ex auditis quoque
Scripturæ Sententijs animi fideiq; robur auxit. Tan-
dem XIII. Novembris die placidam ex hoc periculoso
mundi Oceano obtinuit emigrationem. Exuviæ cor-
poris hodie ad horam I. in æde B. Virginis telluri com-
mittentur: Adeste ergò Academiæ Cives vestraq; præ-
sentiâ honorificâ funus comitamini. Magni id bene-
ficij loco agnoscet Vidua cum liberis, si frequentes com-
parueritis: Quod ut faciatis peramanter hortamur.


P. P. sub Sigillo Univers. Anno 1652.
die XVII. Novembr.

Conventus fiet in æde B. Virginis.











tumq; decore florentissimam, BAI
seln/Viri Spectatissimi Dn. HENR
vis hujus urbis primarij filiam, nu
ob Mariti unice dilecti discessum
quâ cum vitam transegit, annos
sex, tantâ animorum conspiration
tissimâ, ut crebriori nunquam opu
ne. Neq; prole caruit hoc conjug
Conjugatis tres Filij adhucdum su
tu maximus HENRICUS Juris C
reliqui STEPHANUS & JOAC
Genitrice Parentis venerandi obi
quos Matri solatio superesse jubea
Coeterum qualem in vitâ se gesser
notuit incolis, affabilem scilicet
bat, difficilem adversus nullum, un
nem, & proborum affectum benev
parabat; cum verò judicij dexter
entiâ insigni polleret, atq; plures
ret, non uni tantum præfectus fui
pud nos vixit; primò omnium ar
mamentarij bellicorumq; tormen
dustriæ à Senatu Oppidano An
fuit; dehinc Præfectus Ædilisq; c
chij hujatis ad S. Spiritum, cui off
tegrum istâ præfuit integritate, v
studio ut deinceps istis accenseret
Prædiorum rationes examinanda
bis verò confictari subinde coact
longinquo & difficillimo itinere
minimos, facile conijci potest, nu
dicorum Experimentissimorum in

von Hase
sseln / Ci
mœrore
ffictam,
it viginti
diâ lauda
nciliatio
enim sunt
orum na
dustrius,
una cum
descent,
enignitas.
s hujus in
se præsta
ropensio
cale com
q; experi
antecelle
ntisper a
iquot Ar
ipsum in
ncredita
tochodo
nnium in
fidelitatis
o, qui ad
ant. Mor
s enim in
axerit non
bfuit Me
Conjugis
lectul

